

h,
Ala

etiam hostes Polygamias in omnibus locis Scripturae Polygynacias prohibitionem quaesiverunt, sed nusquam invenerunt. Quam commode intemptivus ille propugnator Polygamias, a Christo ejusque Ecclesia universa inde ab initio rejectae & damnatae, huc transferat factum Saulis, Israelitarum Regis, qui servos suos in omnes nationes & regna miserat ad quaerendum Eliam, nunc non dispiciam. Illud saltem moneo, vel potius ex superioribus hic repeto, recte constitui arcem praesentis nostrae causae in loco *Matth. XIX*. Quaestio enim de Polygamia, quae hic venit in controversiam, concernit conjugium, quoad speciem actus spectatum, uti supra dictum, & vertitur cardo rei in hoc: an conjugium in suo esse specifico; sive an ipsa natura legitimi conjugii consistat in conjunctione unius tantum mariti & unius uxoris, ut hi duo tantum sint & esse debeant in unam carnem? an vero unus etiam maritus, & duae, tres, pluresve uxores recte conjungi, & in unam carnem esse possint? Sanctio autem sive constitutio conjugii in suo esse specifico consistit in primaevae ejus institutione, cum hominum mentibus naturam implantata, cum in primis Protoplastorum nuptiis verbis claris a Deo expressa, & a Mose *Gen. II. v. 24.* literis consignata, quae est genuinum & proprium hujus quaestionis controversae principium, in quod ultimo resolvenda sunt, quae ultro citroque ad eam adstruendam aut destruendam obijciuntur & respondentur. Et quia eam Christus *Matth. XIX*: repetivit, uberius declaravit, & a Pharisaeorum corruptelis vindicavit, quidni in hac maximi momenti controversia, qua contra unanimem Ecclesiae universae consensum Novatores post mille sexcentos, & quod excurrit, annos demum Polygamiam ex orco quasi revocare, & in orbem Christianum postliminio reducere annituntur, illum, consulamus, quem Deus voce coelitus delata nobis audiendum